in cœlo, & Deo defigentes. Obtortos habentes oculos, A aut ſtercore *a* terrenarum rerum cæcatos, nequeunt tam alte ſuſpicere, ſed tamquam talpæ oculos ſtatuunt declinare in terram *b*.

a Tob.2.11
b Pſ.16.11

Et lætabuntur. Nyſſenum *c* oportet ex memoria, non ex ſcripto recitantem, ac tractantem, pro verbis pſalmi noſtri, accepiſſe verba pſalmi *d* alterius, in quo eſt, *Videbunt juſti, & timebunt*; quoniam in iſto pſalmo conſtanter omnes codices Bibliorum, & Enarratorum habent, εὐφρανθήσονται, *lætabuntur*, & non φοβηθήσονται. Explicat ille, juſtum, dum oculos ad tantum Dei benignitatem convertit, metuere; quia cuſtodiendis bonis non modicum præſidium eſt timor, qui præteritorum recordatione, ad eventus futuros, moderatum efficit eum, quem prava aliqua affectio concitat; qui proinde dum dominatur, omnemq; laxitate à nobis ad peccatum introductam facilitatem exterminat; mox *omnis iniquitas*) ut continetur ſequentibus verbis) *oppilabit os ſuum* Eſt id quidem *atque lætabuntur*, ut dixi, legendum; quod & Hebraicè dicitur, ישמחו *iſmechu*. Scio nonnullos pro *videbunt*, reddere *timebunt*, legendo pro יראו *iru*, ut nunc eſt, non B à ראה *raah, videre*, ſed à ירא *iare*, *timere*. Sed hac ratione oportuiſſe bis poni *timendi* verbum, quia Nyſſenus legit, *videbunt*, & ſecundo loco, *timebunt*. Quanta ſit futura lætitia juſtorum in judicio, & hic interdum ſit de divinis judiciis, quumque vindictam viderint ſumtam de improbis, aliàs *e* oſtendimus. Lætitiam quóq; capiunt, quòd *benedicat Deus juſto f*, quod *judicet populos in æquitate, & gentes in terra dirigat*. * Sed maxima lætitia oritur ex Dei viſione, tamquam Solis beatifici. Talis *lux oculorum lætificat animam* g: *dulce lumen, & delectabile oculis videre hunc Solem* h: *gaudium nequit eſſe in tenebris ſedenti, nec lumen id videnti* i. Sed ut hic proximè innuitur, *in tenebris eum impiis conticeſcent* k.

c tract.1.in Pſalm.c.8
d Pſ.51.8
e Pſ.57.11
f Pſ.5.13
* Pſ.66.5
g Prov.15.30
h Eccl.11.7
i Tob.5.12
k 1.Reg.2.9

Et omnis iniquitas oppilabit os ſuum.) Hieron., *contrahet*. Alii, *obſtruet*, *claudet*, *continebit*, *obturabit*. Eadem phraſis, & ſententia Job *l* prius citata, *iniquitas contrahet os ſuum*, קפצה פיה *Kephtſah piha*. Utrobique ſumitur *iniquitas* metonymicè pro *iniquis*. Et hoc loco Paraphraſtes vertit, *& cujus auctoris mendacii inſolens fuit, & obturatum eſt*. Vel, ut Nebienſis explanat, *& omnis* C *auctor iniquitatis aperiet os ſuum, ut frænetur*. Significat φράττειν, *ſepire*; & ἐμφράττεσθαι, *ſepiri*. Hoc extat in libro Job, illud hoc loco; Hebræum in ambobus locis idem. Micheæ *m* alia adhuc affinis ſententia. *Videbunt gentes, & confundentur, ponent manum ſuum ſuper os*. Rurſus Jeremias *n* loquentes inducit, *Quare ſedemus? convenite, & ingrediamur civitatem munitam, & ſileamus ibi: quia Dominus Deus noſter ſilere nos fecit*. Præterea ſcribit Eſaias *o*, *Super ipſum* (juſtiſſimum vindicem Deum) *continebunt Reges os ſuum*, יקפצו פיהם *ikpetſuphem*. Denique hoc ſibi vult *obſtrui os loquentium iniqua* p, ubi eſt id verbum Græcum ἐμφράττεσθαι, ſed Hebr. נסכר *niſchar*. Item, *obmuteſcens in veſte ſordida* q, & *impii in tenebris conticeſcentes* r, de quibus prius dixi. *Et in judicio anguſtiatores juſtorum videntes turbabuntur timore horribili, in ſubitatione inſperatæ ſalutis, & dicent intra ſe* (non libera, & diſerta, claraque, & læta oratione) *præ anguſtia ſpiritus gementes* ſ. Oppilatio, ſeu obſtructio oris, atq; ſilentium dictis locis, involvere videtur deſperationem, & interitum; quum præ mali gravitate attonitus quis non ha- D bet quid loquatur, aut mortuo ſimilis aperire os nequit. In eadem notione *conticeſcere* Jeremias uſurpavit, pro eo quod eſt, *perire* t. *Vaſtavit Dominus paſcua eorum, & conticuerunt*. *Cadent* u *juvenes ejus in plateis ejus, & omnes viri prælii conticeſcent*. Non modo quemlibet iniquum qui habitum contraxerit, iniquitatis Chryſoſt. putatitius intelligit, verùm etiam diabolum ipſum: Is quem dicunt Hieronymum, Judæum præterea, vel hæreticum, qui *iniquitatem in excelſo loquuntur* x. Et rectè ad eum ferè modum, quo Chriſtus, Deuſq; adſtractè nominatur Juſtitia. Non eſt *qui accuſare poſſit adverſus electos, non qui condemnare quos Deus juſtificat* y; ut obſervat Cyrillus Alexandrinus z, citatum explanans Michæam, ſimulq; præſentem locum. Damnatis potiſſimùm convenit oppilatum habere os, quia licèt blaſphement continenter Deum, nec magis muti ſint in Dei blaſphemia, quam beati in ejuſdem laude; nihilominus ita etiam illi *os calculo plenum habent* a, ideſt, ut Bedæ *b* placet, carbone ignito, non purgante labia exterius *c*, ſed intus puniente; ſicut juſtorum *os ufrænatur Dei laude* d, non impediente frœno, quin ſemper ac liberè, hilariterq; laudet, immò

l cap.5.16
m cap.7.10
n cap.8.14
o cap.52.15
p Pſ.62.12
q Matt.22.8
r 1.Reg.2.9
ſ Sap.c.5.2
Oppilatio, ſeu obſtructio oris, quid involvat.
t cap.15.37
u Jerem.cap.49.18
x Pſ.73.8
y Rom.8.33
z in Michæ. 7.nu.71
Os oppilatũ habere quibus maximè conveniat.
a Prov.30.17
b ibid.
c Eſa.6.6
d Eſa.48.9

calculo candido impletur os eorum e, *gaudioque, & lingua exultatione* f; Nam calculus ille candidus ex Apocalypſi g candens, ſeu carbunculus ἄνθραξ divini ſermonis veritas & vigor ac rigor eſt, ut ſentit Hieron. *h*. *Maſſam plumbeam* vidit Zacharias *i miſſam in os mulieris iniquæ*, ideſt, ut exponit Elias Cretenſis *k*, peccati pondus ex voluptate potiſſimùm naſcens, & quod os oppilat. *Cultus juſtitiæ ſilentium* l, erit in judicio, quoniam reprobi nihil reſponſabunt, electi pro illis non intercedent. Utrique pronunciatam ſententiam æquiſſimam judicabunt, quamvis reprobi nolentes, invitique. Nyſſenus *m* beatam illam vitam prædicat, in qua iniquitatis os quaſi aliquis cœni fons, in perpetuum obſtruetur, nõ amplius tetro hoc odore vitam humanam contaminans: hunc eſſe bonorum omnium verticem, omnis ſpei caput, finem totius beatitudinis, ut natura amplius non turbetur à malitia, ſed ut omnis iniquitas procul ablegetur, ideſt, ipſe, iniquitatis repertor, cujus vox initio hominibus materiam mortis præbuit. Hujus quoque temporis eſt obtumeſcere facere imprudentium hominum ignorantiam; & hæc eſt voluntas Dei, qua vult à nobis effici benefaciendo *n*: ſicque improbis detractoribus *ponere circulum in naribus* o, & *frænum in maxillis* p.

e Apoc.2.17
f Pſ.125.2
g cap.1.17
h epiſt.143
i cap.5.8
k in Nazia. orat.15.n.56
l Eſa.32.17
m tract.1.in Pſ.cap.8
n 1.Pet.4.19
o Eſa.37.19
p Ezec.19.4

Verſ. 43.) Quis ſapiens, & cuſtodiet hæc [& intelliget miſericordias Domini?

CLaudit pſalmum Propheta, velutique ſigillum imponit, ut Nyſſenus *q* loquitur, & miſerabilem decoro fine terminat, ut ait Caſſiodorus, raptus in admirationem tot viciſſitudinum, atque mutationum, quas in rebus ineſſe dixerat: beatumque illum cenſendum affirmat, ac proinde plane ſingularem, & eximium, & magna præditum ſapientia, ſollertiaque, qui quæ adhuc dicta ſunt comprehendere animo quiverit, & practicè intelligere; tùm verò quantopere in omnibus eniteſcat multiplex, ac admirabilis Dei miſericordia erga homines præſertìm pios, & timentes illum; quam videlicet mirabilem miſericordiam quater inculcato intercalari verſu adeò voluit omnibus commendatam. Exiſtimari poteſt Oſeas in prophetiæ ſuæ fine imitatus hunc locum: *Quis ſapiens*, ait, *& intelliget iſta? intelligens, & ſciet hæc, quia recta via Domini, & juſti ambulabunt in eis: prævaricatores verò corruent in eis*. Sic verò, quoniam *ſtultorum infinitus numerus* r, &

Senſus loci.
q tract.1.in Pſ.c.8

Vir ſ *bonus & ſapiens; qualem vix reperit unum*
Millibus è multis hominum, conſultus Apollo.

r Eccl.1.17
ſ Virg.

In alio priore pſalmo *t* cecinit noſter idem David, *Quam magnificata ſunt opera tua Domine! nimis profunda facta ſunt cogitationes tuæ. Vir inſipiens non cognoſcet, & ſtultus non intelliget hæc*. De ſapientia loquitur non mundi, ſed ſecundùm Deum. Nam iſtius modi res Deus *abſcondit à talibus ſapientibus, & prudentibus* u: *ſtultam faciens ſapientiam eorum, & reprobans prudentiam* x: volens, ut *qui inter homines ſapiens eſt in hoc ſæculo, ſtultus fiat, ut ſit ſapiens* y, *parvulus ut ei reveletur* z, & *intret in regnum cælorum* a. Maxima porrò ſapientia *non altum ſapere, ſed timere* b, de ſe modeſtè, humiliterque ſentire, ſe pauperem agnoſcere, non inflari, non ſuperbire: *miſericordias Domini intelligere*, hactenus recenſitas, non merita ſua, non vires ſuas, non potentiam ſuam. Audiamus monentem. *Intelligete* c *hæc qui obliviſcimini Deum ne quando rapiat, & non ſit qui eripiat*.

t Pſ.91.6.7
u Matt.15
x 1.Cor.1.19
y cap.3.18
z Matt.11.15
a cap.18.4
b Rom.11.20
Maxima ſapientia non altum ſapere ſed timere.
c Pſ.49.11

Quis ſapiens.) Non aſſentior Ayguano, *quis*, non ſtare interrogativè, ſed indicativè, ut ſit ſenſus, ille qui eſt ſapiens cuſtodiet hæc, &c. Obſtant מי *mi*, &c, & ipſummet pronomen, *quis*. Tùm etiam inſerta particula, &. Interrogatio innuit rarum eſſe qui ſit ſapiens, & qui revelatis oculis conſideret mirabilia de lege Dei *d*. Rem difficilem demonſtrari Hieronym. *e* iſta particula docet; aliàs etiam impoſſibilem. Latè patet *ſapientis & ſapientiæ* vox. In ſcriptura, & uſu ferè ſcriptorum Eccleſiaſticorum, ut in Commentario libri Sapientiæ docui, accipitur præſertim pro rerum divinarum cognitione, quæ ad cultum ipſius, & ad pietatis, virtutumque aliarum exercitium referatur.

d Pſ.118.18
e in Eſa.c.14

Et cuſtodiet hæc.) Cuſtodiet in mente, obſervabit, conſervabit, animo, & memoriæ commendabit, in animo, menteve condet; agitabit ſecum, & conſiderabit, conferet, ut Maria faciebat *f*, in corde ſuo, jugiter meditabitur, atten-

f Luc.2.51

attendet ne excidant memoria, non carnaliter, ſed ſpi- A ritualiter intelligantur; curam habebit divinorum operum in pſ. toto deſcriptorum, beneficiorum divinorum, quæ hic enumerata ſunt, rationem habebit, ac magni æſtimabit. Nyſſenus *a* ἐν τῷ φυλάττειν, ſive in *cuſtodiendi* verbo ſpectat ſtatũ gratiæ, & beatitudinis, in quo quando ſublatum fuerit omne illud quod bono adverſatus, ſicque *omnis iniquitas opilaverit os*, tùm nos ſuſcipiet ille ſtatus, qui *exuperat omnem ſenſum, & intelligentiam* b; nec jam occupabimur in ea ſapientiæ actione, quæ indagat, & quærit utilia, præſente re, quæ quæritur; ſed in illa, qua bonum adeptum cuſtoditur. Tùm ſubdit eum qui quæ ſit aſſecutus, intelligat, neutiquam abjicere illa: qui non intelligat, comparandum cum cæco, qui margaritam, vel ſmaragdum, vel alium lapidem pretioſum manutenens, illum abjicit, ut calculum aliquem vulgarem, paſſimque obvium. Malus cuſtos Adam non tantum paradiſi, in quo *poſitus fuerat, ut cuſtodiret illum* c; ne culta protererent, & vaſtarent beſtiæ, ſed præterea, ac in primis juſtitiæ originalis, atque gratiæ, nec non dati præcepti, ex cujus cuſtodia illorum pendebat cuſtodia bonorum, & B juris ad obtinendum ſummum bonum, quod ſemel adeptus cuſtodit ſemper, nec auferri poteſt.

a tract.1.in Pſalm.c.8
b Philip.4.7
c Gen.2.15

Et intelliget miſericordias Domini?) Miratur tam pauços eſſe, qui miſericordias divinas, & beneficia intelligant: ſimul veluti occurrit ſciſcitanti, quare toties invitaverit ipſaſmet miſericordias, ut ipſæ de ſe quaſi loquerentur, confitentes Domino, eumque prædicantes, & eos, in quos conferuntur, tamquam de ſocordia, ignavia, ingratitudine, ruſtico ſilentio reprehendentes. Repetunt compendio Auguſtinus, & Proſper miſericordias hactenus recitatas, & ſpiritualiter intellectas; quod errantem Dominus, & egenum in viam deduxerit, & paverit: quod pugnantem adverſus difficultatem peccatorum, & colligatum vinculis conſuetudinis ſolverit, & liberavit; quod faſtidientem verbum Dei, & tædio penè quodam morientem miſſa medicina verbi ſui recreavit: quod periclitantem inter naufraga, & procelloſa maris hujus diſcrimina mari placato ad portum perduxerit: quod eum conſtituerit in eo populo, ubi humilibus dat gratiam, non in illo, ubi ſuperbis reſiſtit; & fecerit eum ſuum, ut intus ma- C nens multiplicaretur non ut foras exiens, minueretur. Ex Bernardo Hugo, & Ayguanus proferunt ſeptem miſericordias. Legat ſermonem illius, qui cupit.

PSALMUS
CENTESIMUS SEPTIMUS.

1 Canticum Pſalmi ipſi David.

2 PAratum cor meum Deus, paratur cor meum: cantabo, & pſallam in gloria mea.
3 Exurge gloria mea, exurge pſalterium, & cithara: exurgam diluculo.
4 Confitebor tibi in populis Domine: & pſallam tibi in nationibus.
5 Quia magna eſt ſuper cęlos miſericordia tua: & uſque ad nubes veritas tua.
6 Exaltare ſuper cęlos Deus, & ſuper omnem terram gloria tua: 7. & ut liberentur dilecti tui.
Salvum fac dextera tua, & exaudi me:
8 Deus locutus eſt in ſancto ſuo:
Exultabo, & dividam Sichimam, & convallem tabernaculorum dimetiar.
9 Meus eſt Galaad, & meus eſt Manaſſes: & Ephraim ſuſceptio capitis mei.:
Juda rex meus: 10 Moab leges ſpei meæ.
In Idumæam extendam calceamentum meum: mihi alienigenæ amici facti ſunt.
11 Quis deducet me in civitatem munitam? quis deducet me uſque in Idumæam?

12 Nonne tu Deus, qui repuliſti nos, & non exibis Deus in virtutibus noſtris?
13 Da nobis auxilium de tribulatione: qui à vana ſalus hominis.
14 In Deo faciemus virtutem: & ipſe ad nihilum deducet inimicos noſtros.

Titulus, & Argumentum.

Verſ. 1.) Canticum Pſalmi ipſi David.

INTELLIGENTIA tituli pendet ex dictis in aliquorum aliorum pſalmorum titulis, quid ſit *canticum* per ſe, quid *pſalmus*, quid *pſalmus cantici*, quid *canticum pſalmi*. In 65. 82. 87. titulo habetur *canticum pſalmi*; ſed ſolus hic noſter ſimul habet, *ipſi David*, quæ voces in titulis aliis ſæpè occurrerunt. Chaldaicè, *canticum, & hymnus*, aut *laudatoria: per manum Davidis*. Putat Genebrardus dici *canticum pſalmi* ſyntacticè per duo ſubſtantiva, ut denotetur quam ſit excellens pſalmus. Alia ratio communiter aſſignatur de cantu oris, & pulſu inſtrumenti: ut, & vice verſa, quando dicitur *pſalmus cantici*, de pulſu inſtrumenti, & poſt illum de cantu oris. Nonnulli codices minus emendati habent, *canticum pſalmus*.

Titulus.

Argumentum pſalmi, quem rectè poſſis appellare Davido centonem, quoniam primi ſex verſus, omiſſo titulo, non differunt, niſi inadmodum paucis dictionibus, ab ultimis quinque pſalmi 56. & ſequentes octo, à poſtremis octo 59. non differt multùm ab argumentis dictorum pſalmorum. Ergo agi videtur in hoc pſalmo de perſecutione, qua Saul Davidem in ſpelunca deliteſcentem perſecutus eſt: Deinde de victoria ſuper Idumæos & Ammonitas, regiamque urbem Rabath. Vel David poſtquam Philiſthæi fregerant vires Hebræorum, divino promiſſo confirmatus, confidere ſe ſignificat non modo regnum recepturum, ſed finitimas quoque gentes ſuba- C cturum. Typus profectò regni Chriſti continetur, & vocationis Gentium, ut & jam agnoſcunt, qui de reditu ex captivitate Babylonica ſermonem fieri volunt, quemadmodum Baſilius, ſive Theodoretus, & Chryſoſtomus. Neque verò id negant, qui ajunt pſalmum ſpectare ad tempora Machabæorum ſub Epinicii forma, ut de Anaſtaſio refert Agellius. Intellexit quoque pſ. R. Kimhi de Meſſia. Auguſt. iſtam contentionem ex partibus aliorum pſalmorum illuſtrat à ſimili ex pſ. 134. in quo repetuntur aliquot verſus pſal. 113. Caſſiodorum ex partibus plurium pſalmorum ſimul conjunctis deſcriptiſque in libris Paralipomenon, tamquam incenſum ex diverſis aromatibus Valentia confirmat exemplo Eccleſiæ quæ in officio laudum recitat ſimul duos pſ. 62. & 66. deinde tres 148. 149. 150. Docent autem iidem, & alii, cum præſentis pſalmi conflati ex aliis duobus titulus non ſit idem, qui pſalmorum illorum, nos inde diſcere pſalmos illos non ſecundùm ſolas hiſtorias intelligendos & iſt us aliud argumentum myſticum eſſe, probabile ideſt. Illud præterea quod Caſſiodorus videri ſibi ait, inſinuari ex D duobus populis, unam à Deo factam Eccleſiam. Poſtremò arbitratur hodieque de partibus pſalmorum aliquid cantoribus compaginare permitti; quum ſine difficultate conjungatur, quod ſibi nullatenus repugnare monſtratur. Ceterum in explanatione breviores erimus, exemplo præſertim Auguſt., & enarratorum aliorum, eaque dumtaxat annotabimus, in quibus variat hic textus ab aliorum duorum textu, addendo præterea nonnihil quod ibi dictum non fuerit. Connumerat Athanaſius tractatu de lectione pſalmorum ad Marcellinum pſ. qui ſunt utiles, uti volentibus confeſſioine.

Argumentũ.

Verſ. 2.) Paratum cor meum Deus, paratum cor meum cantabo, & pſallam in gloria mea.

OMiſſa paraphraſi, differre monui pſalmo 56. verum illius octavum ab iſto, quod addatur in iſto, *in gloria mea*, quamvis quidam eadem ibi legant, & Romanum Pſalterium omittat hoc loco. Notavit etiam hoc diſcrimen Auguſtinus, & Hieron. ad Suinam, & Fretelam *d*. Is autem qui ſub ejuſdem nomine commentarium edidit,

d Ep.135

Tropologia

edidit, notâns alios maledegere, *in gloria tua*, hanc elicit tropologiam, quaſi dicat David, hoc Domine, quod tibi pſallo, quod tibi canto, non tibi gratiam facio, ſed mihi: quod facio, pro me facio: quod ſervio tibi, gloria mea eſt. Glorioſum quidem homini eſt pſallere, atque cantare Domino, tamen *gloria* hoc loco, ſicut & pſ. 56. aliud ſignificat, & Dei tandem gloria in ea, & omni alia re quæri, procurarique debet. *Gloriam ſuam*, Chryſoſtomus appellare ait Prophetam, donum prophetiæ, & pſallendi cantandique, ad quod ſuſcipiendum ſe paratum dicat, quantum in ſe ſit. Hugo vult Chriſtum paratum cor ſuum bis dicere ad Patrem laudandum tùm in paſſione, tùm in reſurrectione & ad cantandum in hilaritate cordis, ad pſallendum in ſanctitate operis, in gloria ſeu pro gloria triumphi per mortem, & reſurrectionem. Plura in Commentario pſalmi 56.

Verſ. 3.) Exurge gloria mea: exurge pſalterium, & cithara, exurgam diluculo.

Senſus loci. *a verſ.* 9

MOnui pſ. 56. *a* tria prima verba inde huc tranſlata in editione Latina, quum non extant Hebraicè, nec in emendatis tranſlationibus Græcis. Quod eodem loco retuli, ex Hebræis de cithara Davidis per ſe ac ſponte reſonante certis horis, Valentia ibi ſolùm, ſed hìc etiã recitat, facies mentionem R. Haccados, & plus fortaſſis iſti figmento tribuens, quam par ſit. Arnoldus Bonævallis tractatu de ſeptem verbis Domini *b*; præter alios, quos tunc protulimus, exponit præſentem ſententiam de Chriſti reſurrectione. Alii *c* bis poſitum verſiculum tùm hic, tùm pſ. illo 56 ſenſu ſaltem accommodationis, applicant ad Patrem Filium invitantem in cœlo ad incarnationem, & in terra, ad prædicationem, miraculaq; & ad filium Patri obſequentem magna alacritate, ac promtitudine. Nego autem commune opinionem eſſe, ut Valentia tamen aſſerit, quod quum Chriſto David reſurrexerit, multique Patriarchæ & Prophetæ. Corpora ſanctorum quæ ſurrexiſſe dicuntur *d*, fuiſſe iſtorum communis opinio non eſt, ac valde dubium, & de Davide forſitan non verum, ut alibi dixi *e*.

b circa verbum prim. — *c Vitalis Zuccholius hom. 6. in Matt.* — Senſus myſticus. — *d Matt.* 17 51 — *e in Act. c.* 2.

Verſ. 4.) Confitebor tibi in populis, Domine, & pſallam tibi in nationibus.

POpuli & *nationes* aut ſynonymè ſumuntur, aut illi pro Judæis, hæ pro Gentilibus. Si de Chriſto interpretemur, id ille tantum per ſeipſum non fecit immediatè, ſed per diſcipulos, præſertim apud nationes ſive gentes. Confeſſio laudis & prædicationis hic accipitur, non peccatorum: Etſi verum eſt, hanc, ut Hugo admonet, non debere fieri in cameris, & locis ſuſpectis, quando nimirum commodè poteſt fieri palam, publicè, in loco religioſo, & decentiore, & oportere, quod ait Arnobius, ut quivis exemplo Pauli, ſe reputet indignum *f*. Guilielmus *g* Pariſienſis ſcribit pœnitentiæ ſacramentum debere miniſtrari cum ſtola, & in loco ſacro, ſi fieri poſſit, ob miniſterii ſanctitatem, & ut devotio in pœnitente augeatur vel excitetur.

f 1. Cor. 15. 9 — Pœnitentiæ ſacramentũ quomodo miniſtrari debeat. — *g de pœnit. ſacra. c. ult.*

Verſ. 5.) Quia magna eſt ſuper cœlos miſericordia tua, & uſque ad nubes veritas tua.

ANaſtaſius explicat apud Agellium de Dei benignitate veraci, quæ altior nubibus apparuerit, atq; cœlo cœlorum, deſuper operiendo peccata noſtra. Hoc etiã ſibi vult in pſalmo 102. *h* illa ſententia, *ſecundum altitudinem cœli à terra corroboraverit miſericordiam ſuam ſuper timentes ſe*. Videri poſſunt ſynonyma ſuper cœlos מעל *mehhal*, ἐπάνω ſeu *uſque* עד *hhad* ἕως: & *uſque ad nubes*, quemadmodum *volucres cœli* vocantur, quia nubes *cœli* nomine intelligunt. Refellit Cyrillus Jeroſolymitanus *i* abutentes hoc loco, ut probarent Dei potentiam ad cœlum uſque ſolum pervenire, non etiam ad terram, & providentiam cœlo, nubibuſque circumſcribi, ac terminari. Inter myſtica cenſeri poteſt, ut Deus miſericors canatur ſuper omnes incolas cœli, eoſque omne miſericordia vincant: ſi autem verax, *uſque ad nubes* Prophetarum & Apoſtolorum, quoniam cuncta impleverit oracula Prophetarum, & quæ promiſerat Apoſtolis de ſua reſurrectione, aliiſque rebus. Ex myſtico ſenſu non ſatis validè argumentatur creditus Hieron. contra Montanum, & Cataphrygas, negantes revelatum Apoſtolis, ſed ſibi. Vult ille *nubes* eſſe Apoſtolos, & uſque ad iſtas nubes veritatem Dei, hoc eſt, veritatis revelationem.

h verſ. 11 — *i catech.* 8

Verſ. 6.) Exaltare ſuper cœlos Deus, & ſuper omnem terram gloria tua.

Senſus loci. *k verſ.* 6, 14

BIs hic idem verſiculus repetitur pſ. 56. *k*. Nectendo cum verſu qui hoc ipſo pſalmo ſequitur, commodus ſenſus eſt, ſpectari multo illuſtriorem Dei gloriam in liberandis dilectis ſuis, quam in creandis cœlis terraque. Magnas gratias agere Deo propter magnam gloriam ſuã jubet nos Eccleſia, quum ſoleant agi gratiæ pro acceptis beneficiis. Magna gloria Dei cernitur potiſſimum in condonandis peccatis, neque gloria major advenit Deo, vel potius declaratur, quam quum recipit peccatores ſoſque juſtificat. Chriſtus etiam non tantum aſcendende ſuper omnes cœlos, atque cœlorum incolas, & quotquot quantalibet ſanctitate gloriave pollent, ſed per nominis ſui notitiam illuſtriſſimam exaltatus eſt. *Ecce exaltabitur*, ait Deus *l*, *ſervus meus, & elevabitur, & ſublimis erit valde*: item *m*, *ponent Domino gloriam, & laudem ejus in Inſulis nuntiabunt*.

l Eſa. 52. 12 — *m cap.* 42. 12

Verſ. 7.) Ut liberentur dilecti tui.
Salvum fac dextera tua, & exaudi me.

DEinceps ex pſ. 59. ſumti ſunt verſus, incipiendo à ſeptimo verſu illius. Sed prima pars præſentis eſt ibi ſecunda pars alterius præcedentis eodem loco, *Dediſti metuentibus te ſignificationem, ut fugiant à facie arcus ut liberentur dilecti tui*. Docui priore verſu, exaltari maximè Deum, gloriamque ipſius, liberando dilectos ſuos. Quid ſit *ſalvum fac dextera tua*, dictum in alio illo pſal. Codices Græci emendati carent pronomine, ſed extat etiam in Hebræo textu. Gregorius *n* verò *dextera* nomine ſumens beatitudinem, obſervat hic non dici *ſalvum fac manu*, ſed *dextera*, videlicet ut indicaret Propheta ſalutem æternam ſe quærere. Liberantur dilecti omnes ſecundùm ſufficientiam, quia *ſic Deus dilexit mundum, ut* pro mundo toto, & omnibus hominibus *Filium ſuum daret o*, atque ob charitatem iſtam *attraxit* ipſe Filius *miſerans p* miſeriam naturam noſtram, *dilexitque nos, & lavit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo q*. At ſecundum efficaciam, effectumque ſoli liberati ſunt dilecti dilectione peculiari illius, qui ſcit quos ita elegerit, atque dilexerit, & qui ſint electi (quo modo legitur hic in Romano Pſalt. & à Caſſiodoro, aliiſque) *propter quos omnia fecit r*. Liberatio Patri tribuitur, ſicut de ſe, ac de Petro innuit Chriſtus *ſ*: ergo liberi ſunt filii: Filio, qui dixit, *Si Filius vos liberaverit, verè liberi eritis*: Spiritui ſancto, quoniam *ubi Spiritus, ibi libertas u*. Primus liberat ſecundùm attributionem ab infirmitate, ſecundus ab ignorantia, tertius à malitia. Sic Hugo.

n 3. p. paſtor. admon. 27 — *o Joan.* 3. 16 — *p Jer.* 31. 3 — *q Apoc.* 1. 5 — *r* 2. *Tim.* 1. 10 — *ſ Matt.* 17. 25 — *t Joan.* 8. 36 — *u* 2. *Cor.* 3. 16

Verſ. 8.) Deus locutus eſt in ſancto ſuo. Exultabo, & dividam Sichimam, & convallem tabernaculorum dimetiar.

x verſ. 8

REpetendum ex dictis pſalmo 59. *x*, videri Sichimam eamdem cum Sichar, ubi converſa eſt Samaritana *y*: ita ut quemadmodum prior in iſto Dei oraculo Sichima promittitur, ſic prima Chriſti acceperit imperium, tùm vivente adhuc Chriſto in carne morali *z*, tùm brevi poſt aſcenſionem *a*. Hic repetendum præterea, quod pro *exultabo* habetur ὑψωθήσομαι *exaltabor*, quod Auguſt. legit, *exaltabo*. Is autem, quem vocant Hieron., illud ex verſu 6. *exaltare ſuper cœlos*, de aſcenſione interpretans, ut & alii multi; legens autem hic, *exaltabor*, explicat de exaltando Chriſto in Cruce, proptereaque dicere Chriſtum, *exaltabor, & dividam Sichimam*, quaſi diceret, propterea crucifigor, ut Sichimam, ideſt, juxta etymon vocabuli, opera mea dividam Sanctis meis, & jugum meum ſuave, onuſq; leve imponam ſuper cervices hominum. Arnobius alludit ad Sichem, quam olim Hebræi humiliaverant, quia ſoror eorum ibi corrupta fuerat *a*. Et ait nunc, quia mens eorum corrupta eſt, Deum in gentes miſiſſe Filium ſuum, qui hanc urbem Gentium tolleret de poteſtate Hebræorum, & divideret eam Apoſtolis, & convalles tabernaculorum ejus metiretur in tres partes, quæ in uno regno conjungerentur, quod conſtaret ex Hebræis, Græcis Latinis. Hieron. explanans Eſaiam *b*, hic ſcribit, (Ephraim, & Judas, ideſt, qui de duodecim Tribubus in Chriſtum crediderunt ex Judæis, ſimul prædabuntur Orientem, & in Judæã, & ad Moab extendent manus ſuas, juxta illud, quod ſub perſona David Chriſtus myſticè loquitur, *In Idumæam extendam calceamentum meum, mihi alienigenæ ſervient*.) De hoc in verſu 10.

y Joan. 4. 5 — *z ibi verſ.* 19 — *a Act.* 8. 14

Alluſio Arnobii. — *a Gen.* 34. 27 — *b in cap.* 11

Verſ. 9.) Meus eſt Galaad, & meus eſt Manaſſes, & Ephraim ſuſceptio capitis mei,
Juda Rex meus.

Senſus loci.

CAvenda in ſpecioſa tropologia, turpis ignorantia, quam prodidit ſuperioribus hebdomadis magno plauſu auditus non nemo, fœdus, reconciliatæ amicitiæ inter Jacob & Eſau ſuper tumulo celebratum *c* eſſe, hoc eſt, ſuper ſepulcro, quod ſimultates oporteat ſemel ſepultas numquam reſurgere. Erat ille tumulus, non ſepulcrum, ſed acervus lapidum, ſerviens pro geniali menſa, unde *Galaad* inditum nomen *tumulo*, ſeu *acervo*, atque à *teſtimonio*, vel *teſte*. Etſi verò *tumuli* Latina vox etiam *ſepulcrum* ſignificare valeat, non tamen βουνὸς & גל *gal*. Quorſum obſecro tunc excitaretur ſepulcrum? Dedocere, non tantum docere debeo. Præter alios myſticos ſenſus indicatos pſ. 59. recipi poteſt, quem tradit Hugo, ut Deus, aut Chriſtus ſuum dicat *Galaad*, quoniam ſit ab ipſo bonorum operum teſtimonium, ſine quo nullum pietatis opus fieri poteſt: *Manaſſem*, ut quis *oblitus poſteriorum ad anteriora extendat ſeipſum* d; *Ephraim*, ideſt, fructificationem, ac profectum bonorum operum, quæ ſit ſuſceptio ejuſdem, quia provenit ex illius dono; *Judam Regem*, hoc eſt, confeſſionem peccatorum, quæ coercet ſuggeſtiones malas, & vitia: dirigit autem bonas cogitationes & opera. Eodem applicat hiſtoriam Judæ Machabæi *e*, qui *perſequebatur iniquos, perſcrutans eos: & qui conturbabant populum ſuum, ſuccendebat flammis*, &c. Iſtam tropologiam, & de alio Juda, perſequitur Græveus *f*, accomodans quoque ad confeſſionem. Factus es *Galaad*, ait putatus Hieronymus, factus es *Manaſſes*, hoc eſt, migraſti ad Dominum, & poſt oblivionem remeaſti ad patrem, (ſicut prodigus *g*) eſto *Ephraim*, ideſt, fructifer. At etymologiam *Galaad* aliam modo retuli ex ipſamet Scriptura, ut ſit *acervus teſtis*, vel *tumultus teſtimonii*, non autem *tranſmigratio*. Conſentit nomini *Juda*, quod idem Auctor addit. Videte in quanta gloria eſt, qui agit pœnitentiam, ut ſcilicet eum Deus nominet *Regem ſuum*, ideſt, quem fecerit ipſe, creaveritque Regem. Tribus Judæ regia erat *h* & Deus *de Juda elegit Principes* i. Haimo ſingulari quadam ratione ſumit *Ephraim* pro ſpinea corona Chriſti, quæ eſt, inquit, fructificatio, quia acquirit illi, ac Deo coronam de circuitu totius mundi. Quaſi diceret Chriſtus, non eſt dedecus, & depreſſio mea, ſicut quidam dicunt, ſed *ſuſceptio capitis mei*, ideſt, facit meum caput, ſive meam altitudinem, ſuſcipi per totum mundum, & jucundum haberi.

c Gen. 31. 46. & *ſeq.* — Senſus myſticus. — *d Phil.* 3. 14 — *e* 1. *Mach.* 3. 5 — *f ſerm.* 231 — *g Luc.* 15. 18 — Etimologia Galaad. — Tribu Juda regia. — *h Gen.* 1. 10 — *i* 1. *Paralip.* 28. 4

Verſ. 10.] Moab lebes ſpei meæ.
In Idumæam extendam calceamentum meum: mihi alienigenæ amici facti ſunt.

Senſus loci.

CReditus Hieron. per *Moab*, qui ſignificet *ex patre*, ideſt, eum qui perdidit patrem ſuum, qui reliquit, qui non remeavit ad illum, & de cujus genere uſque ad quartam generationem, & *decimam, & uſque in ſæculum non intrabit in Eccleſiam Domini* k: & qui ex immunda commixtione naſcitur, *in ſpelunca* tenebroſa *l*, diabolum intelligit, ſicut & per Abſalon, qui patrem perſequutus eſt, *lebetem*, ſive *ollam Domini* eſſe, quia veluti quæſtionarius ejus eſt, eique traduntur improbi *m*, ut ab ipſo cruciati convertantur: id ſibi velle *ollam* apud Jeremiam *n*, & Ezechielem *o*. Idem attigerat idem Auctor in Pſ. 59. & alii ibidem, ut nos ipſi meminimus, admonentes duriorem videri expoſitionem *Moab*, dici *ex patre*, ideſt, ſine patre. Vide præterea, quæ eo loco dixi de Magdalena, quæ facta canitur ex lebete phiala: quod Hugo utrobique benè declarat. Addit iſte Doctor, *Moab* ſecundum notationem ſignificare *aquam paternam*: hanc verò tropologicè ſapientiam patrum in Scriptura contentam: *lebetem* ſtudium, quo caro hominis conſumitur *p*, iſtud ſtudium eſſe *lebetem ſpei*, quia ſpem roborat, facitque *ut per patientiam, & conſolationem ſcripturarum ſpem habeamus q*. Etymon *Moab* non eſt aliud, quam *ex patre*; ut ipſamet Scriptura tradit *r*. Veroſimilior Grævei *ſ* tropologia, ut ſit *lebes*, aut *olla* corrupta, limoſa, fragilis caro noſtra, ignis inimici ſuggeſtio, quam Jeremias *t ollam ſuccenſam* vocabat, ab eo nempe, *de cujus naribus procedit fumum* u, ollam iſtam crepare, ac deficere in igne, ſi deſit intus aqua divinæ gratiæ, ſi adſit hæc aqua igne tribulationis magis ferveſcere, ac ſpem præmii magis accendi: quia *tribulatio patientiam operatur: patientia probationem, probatio ſpem, quæ non confundit* x, De Magdalena Hugo exponit fuiſſe *lebetem ſpei* Chriſti, hoc eſt, cujus exemplo poſſint ſperare peccatores in Chriſtum, ſicut *data* dicitur *vallis Achor ad operiendam ſpem* y: *calceamentum ejus*, tùm quia veluti calceavit eum, rigans lacrymis pedes, capillis tergens, oſculans, nugens *z*; & præterea propter exemplum aliorum, ut convertantur, & pedes affectum muniant, contra frigus pigritiæ, æſtum luxuriæ, lapides duritiæ, ſpinas divitiarum, &c. Sicque ex inimicis amici, ſubditi evadant, ex rebellibus, & audire mereantur ſaltem interius, remiſſa ſibi peccata, atque ut vivant jam *in pace* a.

k Deut. 23. 2 — *l Gen.* 19. 30 — *m* 1. *Tim.* 1. 20 — *n cap.* 1. 14 — *o c.* 24. 5. 6 — Magdalena ex lebece phiala. — *p Eccl.* 12. 12 — *Eccl.* 5. 1 — *q Rom.* 15. 4 — Etymon. Moab. — *r Gen.* 19. 37 — *ſ ſerm.* 252 — Tropologia — *t cap.* 1. 14 — *u Iob* 41, 11 — *x Rom.* 5. 5 — *y Oſe. c.* 2. 15 — *z Luc.* 7. 38. 44. 45. 46 — *a ibid. verſ.* 50

Verſ. 11.) Quis deducet in civitatem munitam? Quis deducet me uſque in Idumæam.

Senſus myſticus.

PRæter alios in 56. pſalmo ſenſus myſticos, is quem vocant Hieron. facit hic loquentem de Chriſto, & interrogando negantem Davidem ullum eſſe, qui præter illum, liber ac victor deſcendere poſſit in infernum, ſeu in limbum, atque inde quum libuerit exire, nullum qui valeat deſcendere in locum occiſionis, & pœnarum dicto modo, præter eumdem Chriſtum. Idem placuit Caſſiodoro, Brunoni, Hugoni, aliis: & Bruno innui vult adhuc difficultatem in expugnanda infidelitate, in penetranda cœleſti civitate. Verus Hieron. *b civitatem munitam*, interpretatur vel de Jeruſalem, quæ firmiſſimis muris fuit circumdata, vel de inferno, in quo clauſæ ſunt animæ mortuorum, & circumdatus eſt firmiſſimis cuſtodiis, Similitudo eſt מבצור *matſor*, hoc loco & בצרה *borrah*, in Eſaia *c*. An autem Chriſtus reipſa infernum damnatorum intraverit, quod Auctores illi præſeferunt, alibi diſputatum eſt. Placet allegoria Bellarmini noſtri, ut in verſu 9. *Juda* eſt *regnum Juda*, aſſignet Eccleſiam fidelium: *Sichima* in 8. ſive *Samaritani* hæreticos: *Ephraim* & *Manaſſe* (ſub quo *Galaad* comprehendi debet) in eodem, ſchiſmaticos: *Moab*, & *Alienigenæ*, ſive *Philiſthæi* in 10. & 11. Gentiles: *Idumæa* in 10. Judæos; primis ceteros omnes, non quidem abſque magno labore tandem tamen aggregandos, vincendos, ſubjiciendos, ad amicitiæ ſocietatem redigendos. Samaritani apud Judæos eo erant loco, quo nunc ſunt apud nos hæretici: *Ephraim*, & *Manaſſe*, pertinebant ad regnum Jeroboam, ſive Iſrael, quod erat diviſum à Regno Juda: Moabitæ, ac Philiſthæi erant infideles omninò idololatriæ, Auguſt. ad Afellicum ſcribens *d*, docet Chriſtianos, quod etiam dixit Apoſtolus *e*, eſſe Judæos ac Iſraelitas ſecundum Spiritum, pertinereque ad Jacob, Judæos ſecundum carnem ſpectare potius ad Eſau, & nominandos *Idumæos* quemadmodum ille cognominatus eſt *Edom* *f*: ſed & Joannes *g* negat Judæos veros quoſdam fuiſſe, qui ſe tales eſſe profitebantur. Inter alias *civitatis munitæ* notiones myſticas una eſt, pro anima cujuſlibet juſti, ad cujus cor loquitur Deus, advocans eam, quoniam *completa eſt malitia ejus, & dimiſſa eſt iniquitas illius* h. De hac notione conſulatur Jacobus Alvarez *i* noſter.

b in Eſa. 6. 5 — *c cap.* 6. 5 — Allegoria. — Samaritani eo loco apud Judæos erant quo apud nos hæretici. — *d epiſt.* 200 — *e Rom.* 9. 6 — *f Gen.* 25. 30 — *g Apoc.* 2. 9. *cap.* 3. 9 — Civitatis munitæ notio myſtica — *h Eſa.* 40. 2 — *i de vita ſpirit. lib.* 2. *p.* 2 *cap.* 4

Verſ.12.) Nonne tu Deus qui repuliſti nos, & non exibis: A Deus in virtutibus noſtris,

Senſus loci.

APerit cauſſam, cur permiſerit Deus toties vinci Hebræos ab alienigenis, ſeu Philiſthæis, Moabitis, Idumæis; quoniam fidebant ſibimetipſis, viribuſque propriis, ſe autem ſpem totam conjeciſſe in Deum. *Virtutes* monuimus crebro exercitus ſignificare, non morales bonos habitus. Inducit Hugo pium Concionatorem ſecum quærentem, qua ratione poſſit *deduci in civitatem munitam*, ideſt, in cor vitiis vallatum, & mentem obſtinatam; quo pacto *in Idumæam*, hoc eſt, in hominem terrena amantem, ſanguineque peccati cruentatum; reſpondentem verò in te tam difficili, ſolam valere gratiam Dei; qui poteſt per re ingredi, ſic per dictam civitatem, & Idumæam, atque *ſuccendere eam pariter*, ut ipſemet dicit a, nec non & illud, cum emphaſi: *Ego ſum* b, *ego ſum, qui deleo iniquitates tuas propter me*: & promiſit, quod *civitatem ſublimem humiliaret, & conculcaret eam per pauperis, greſſuſque egenorum* c.

a Eſa. 17.4 b cap. 43. 25 c cap. 26. 4

B

Verſ. 13.) Da nobis auxilium de tribulatione, quia vana ſalus hominis.

Senſus loci.

UNde nobis dat auxilium, ait Arnobius; de exultatione, an de tribulatione: de tribulatione; quaſi qui dicat, non meretur auxilium conſequi, qui ſe tribulantem non exhibet Chriſto: & crediderit, quia vana ſalus eſt in homine. Similia ſcribit hic, & pſ. 59. nominatus Hieron. Caſſiodorus conſentit, ſimul hic acriter arguens aſſerentes carnem Domini, quem loquentem inducit, & divinitatem, unius eſſe naturæ. De vanitate porrò ſalutis humanæ, homoque ipſe quam ſit vanus, quamvis toties mentio facta ſit, numquam nimis vana oratio cenſeri poteſt, refertque plurimi tantam ab animo humano excludi vanitatem. Inſcripſit Adam S. Victoris monachus æqualis Bernardi ſuo adhuc vivens Epitaphio, hoc inter alia, quæ leguntur in Cœnobio S. Victoris canonicorum regularium in ſuburbio Pariſienſi.

Vanitas ſalutis humanæ.

Vana ſalus hominis, vanus decor, omnia vana;
Inter vana nihil vanius eſt homine.

C

Verſ. 14.) In Deo faciemus virtutem, & ipſe ad nihilum deducet inimicos noſtros.

Senſus loci.

IN pſalmo 59. fuit θλίβοντες & *tribulantes*, quum tamen eſſet idem nomen Hebræum cum affixo utrobique צרינו *tſarenu*, propriè ſignificans *tribulantes nos*. Egregium crediti Hieronymi κατόρθωμα, monitumque. (Non dicamus, ſi illud mihi eveniat, aut illud, unde habeo vivere? Reſpondeo tibi, quod majus eſt, ſi perſecutio fiat unde habes vivere? Semper Chriſtiano perſecutio eſt, ſemper nuditas propoſita eſt. Nemo ergo debet de vita iſta deſperare, nemo timeat; nemo debet dicere. Si ſenuero, unde habeo vivere? Si infirmus factus fuero, unde vivo? Chriſtum habes, & times? Si volatilia cœli paſcit, dubitas quod poſſit te paſcere? Diabolus paſcit ſuos D homines, & Chriſtus non paſcet ſuos ſervos? Diabolus facit judices hujus mundi divites, & Chriſtus non poteſt facere, ut non mendices? Diabolus dat aurum, & gemmas, & Chriſtus panem non poteſt dare? Nos omnem ſollicitudinem projiciamus de cordibus noſtris, & dicamus: In Deo faciemus virtutem. Ipſe erit virtus noſtra, ipſe panis noſter, ipſe erit rector noſter.) Hactenus ex illo Auctore. Omnis nobis à Deo virtus, ideſt, vis ac facultas ex ſpeciali gratia ipſius ad opera virtutis, ſaltem quæ dicuntur conducere pietati, & ſaluti, & perfectioni veri Chriſtiani; ſic Paulum d ut exhiberet omnem hominem perfectum in Chriſto Jeſu, laborare ſe ſcribebat, certando ſecundùm operationem ejus, quam operaretur in ſe, in virtute. *Deducit Deus ad nihilum inimicos*, aut, ut per humilitatem *nihil eſſe ſe* reputent e: aut ut eſſe deſinant, ideſt, vivere, quod perinde eſt ac ſi revera in nihilum redigerentur; juxta illud f, *nihil factus es, & non eris in perpetuum*: aut ut etiam damnentur; tunc verò mallent non eſſe, quam eſſe; aut ut ad diabolum deducantur, cui quia primus peccati Auctor eſt, rectè tribuitur nomen ratioque *nihili*, quemadmodum ratio ac nomen *entis*, Deo.

Crediti Hieronymi monitum.

d Col. 1. 28. 29 e 1 Cor. 11. 11 f Ezec. 28. 19

PSALMUS

CENTESIMUS OCTAVUS.

1 In finem, Pſalmus David.

2 DEus laudem meam ne tacueris: quia os peccatoris, & os doloſi ſuper me apertum eſt.
3 Locuti ſunt adverſum me lingua doloſa, & ſermonibus odii circumdederunt me: & expugnaverunt me gratis.
4 Pro eo ut me diligerent, detrahebant mihi; ego autem orabam.
5 Et poſuerunt adverſum me mala pro bonis: & odium pro dilectione mea.
6 Conſtitue ſuper eum peccatorem: & diabolus ſtet à dextris ejus.
7 Quum judicatur, exeat condemnatus: & oratio ejus fiat in peccatum.
8 Fiant dies ejus pauci: & Epiſcopatum ejus accipiat alter.
9 Fiant filii ejus orphani; & uxor ejus vidua.
10 Nutantes transferantur filii ejus, & mendicent: & ejiciantur de habitationibus ſuis.
11 Scrutetur fœnerator omnem ſubſtantiam ejus; & diripiant alieni labores ejus.
12 Non ſit illi adjutor: nec ſit qui miſereatur pupillis ejus.
C 13 Fiant nati ejus in interitum: in generatione una deleatur nomen ejus.
14 In memoriam redeat iniquitas patrum ejus in conſpectu Domini, & peccatum matris ejus non deleatur.
15 Fiant contra Dominum ſemper, & diſpereat de terra memoria eorum; 16 Pro eo quod non eſt recordatus facere miſericordiam.
17 Et perſecutus eſt hominem inopem, & mendicum, & compunctum corde mortificare.
18 Et dilexit maledictionem, & veniet ei, & noluit benedictionem, & elongabitur ab eo.
Et induit maledictionem ſicut veſtimentum, & intravit ſicut aqua in interiora ejus, & ſicut oleum in oſſibus ejus.
19 Fiat ei ſicut veſtimentum, quo operitur, & ſicut zona, qua ſemper præcingitur.
20 Hoc opus eorum, qui detrahunt mihi apud Dominum, & qui loquuntur mala adverſus animam meam.
21 Et tu Domine, Domine, fac mecum propter nomen tuum, quia ſuavis eſt miſericordia tua;
22 Libera me quia egenus, & pauper ego ſum, & cor meum conturbatum eſt intra me.
23 Sicut umbra quum declinat, ablatus ſum, & excuſſus ſum ſicut locuſtæ.
24 Genua mea infirmata ſunt à jejunio, & caro mea immutata eſt propter oleum.
25 Et ego factus ſum opprobrium illis, viderunt me, & moverunt capita ſua.
26 Adjuva me Domine Deus meus: ſalvum me fac ſecundùm miſericordiam tuam.

27 Et

27 Et ſciant quia manus tua hæc, & tu Domine feciſti eam.
28 Maledicent illi, & tu benidices: qui inſurgunt in me, confundantur, ſervus autem tuus lætabitur.
29 Induantur qui detrahunt mihi, pudore, & operiantur ſicut diploide confuſione ſua.
30 Confitebor Domino nimis in ore meo, & in medio multorum laudabo eum.
31 Quia aſtitit à dextris pauperis, ut ſalvam faceret à perſequentibus animam meam.

Titulus, & Argumentum.

Verſ. 1.) In finem, Pſalmus David.

Titulus & argumentũ.

COmmunis adeò multis pſalmis titulus, non eget peculiari expoſitione. De argumento antiquorum expoſitorum recepta ſententia eſt, Judam eſſe Chriſti proditorem præcipuè, cum alios ejuſdem perſecutores Judæos; conſequenter etiam iſtis alios, qui proditoriè violent charitatem; ita ut in Judam præſertim, deinde in alios etiam maledictiones hic pronuntientur, aut rerum malarum, ſub maledictionum forma; prædictiones; poſtremò ſubjiciatur oratio Chriſti, ſimulque alterius cujuſvis innocentis injuriam paſſi: Petrus quidem certè de Juda uſurpavit pſalmum iſtum a tamquam de illo ſcriptum; de quo propterea vult Auguſt. ut exponatur; ſed & de Judæis aliis, quorum ille gereret perſonam, & qui tunc vivebant, & qui nunc per ſucceſſionem perſeverante genere ipſius impietatis, Chriſtum oderunt. Ambroſius b præterea docet de Juda, & de Judæis pſalmum eſſe, qui nunc de uno, nunc de pluribus loquitur. Conſentit Cyrillus c Jeroſolymitanus, Leo Magnus d, Euſebius e, Auctor hypognoſticon f, Gregorius g, Hieronym. h, Chryſoſt. i, Petilianus licèt hæreticus apud Auguſtinum k, Tertullianus l, Iſidorus m, alii. Volunt etiam nonnulli à Chriſto indicatum præſentem pſalmum, quando dixit: *nemo n ex eis periit, niſi filius perditionis, ut ſcriptura impleatur*; nempe quum dicitur, *fiant o dies ejus pauci, & epiſcopatum ejus accipiat alter*. Nec tamen negaverim de ſuiſmet proditoribus queri Davidem in hoc pſalmo concedi poſſe, ut de Doeg, & Achitophel, ut explicat Trevetus, qui tamen ſeparatim poſtea de Chriſto, aut de aliis populi ſui, poſtea futuris; qualis à reditu ex Babylone Simon fuit, Jaſon, Menelaus, Lyſimachus, Alcimus, & alii, de quibus in hiſtoria Machabæorum, item qui jam reverſum indidem populum, eumdem falſis deferebant, apud Reges Perſarum, criminibus, ne Urbem, templumq; reſtitueret, illi p, ut indicant Baſilius, & Chryſoſt., aut alius. Petrus q Damiani ſcribens Cadaloo Anti-Papæ, affirmat contineri hoc pſalmo triginta maledictiones adverſus Judam pro numero totidem denariorum, quibus vendidit Chriſtum, incipiendo ab illo verſiculo, *conſtitue ſuper eum D peccatorem*, &c. uſque ad illa verba, *operiantur ſicut diploide confuſione ſua*. Hoc ipſum tradit Rupertus r appellans, triginta vindictas, vel conceſſivas maledictiones, & de Judæis ſimul cum Juda ſub typo Architophel, interpretans, dicenſque ſicut ſerpens inter omnia animalia maximè maledictus eſt, quoniam eo diabolus uſus eſt, ut inſtrumento in horto ad primos parentes decipiendos ſ, ita Judam inter omnes homines, qui idem diabolus eum adhibuit ad Chriſtum in horto capiendũ. Beda explanans Actus Apoſtolorum t prior adhuc idem docuit de triginta Judæ maledictionibus. Sed & à quodam Auctore Græco, quem non nominat, idem annotatũ admonet Agellius in fine pſalmi. Obſervatum eſt verò etiam, triginta tùm benedictiones, tùm maledictiones enumeratas à Moyſe u, eo quod ſicut bonorum laudes, ita malorum prodeſt vituperatio. Inde Bongus x factum putat, ut quum ſupputando pervenitur ad tricenarium, ſoleat is numurus cum Dei laude, ac invocatione nominari. Oſtendit quoque ſymbolum luctus eſſe, quia Aaronem, Mariam, Moyſem mortuos flevit ſigillatim populus diebus triginta; & ſimile quiddam ex profanis profert; tùm ex recepto ritu de Amiſſis triginta y. Valentia numerat viginti quatuor maledictiones tantum, deque Judæis omnes declarat. Ad alias execrationes hunc pſalmum adhibitum ritu quodã ſuperſtitioſo Faber meminit, extinguendo lumina, vultus ab altaribus avertendo, in pulvere ſeſe volutando. At non ideò parendum Fabro, ut per indicativos modos canatur, non per imperativos: de qua re poſtea. Nicolaus Papa I. in decreto de electione ſummi Pontificis z inter execrationes adverſus violatores ejus, recitat aliquot ex iſto pſalmo. Idem Valentia reprehendit non tantum Judæos de ſolo Davide adverſus Saulem imprecante declarantes; ſed Chriſtianos quoque recitantes hunc pſalmum contra quoſvis perſecutores, quamvis Chriſtiani etiam ſint. Tandem notat Ayguanus hunc eſſe quintum pſalmum inter illos, qui latius de Chriſti paſſione loquuntur; alios eſſe 21. 34. 54. 68. Prior hoc monuerat Caſſiodorus, conſiderans etiam quinarii myſteria.

a Act. 1. 20 b in Pſ. 40. & 41. & 61. c Catech. 11. d ſer 3. 5. & 10. de paſſ. e 10. de demonſtr. Evang. in 3. f lib 9. cap. 5. apud Aug. tom. 7 g hom. 27. in Evang. h in Eſa c. 18 & in Matt. c. 27. & in Ez. cap 44. & in Eccl. cap. 11 i tract. quod Chriſtus ſit Deus. k lib. 2. cont. litt. Petilia. cap. 8 l de præſat. cap 20 m 1. ſent. c. 29 n Joan. 17. 12 o verſ. 8 p Beda. q Lep. in c 1 14. de Trin. & oper. ejus & lib. 12. de glo. & honor filii hom. pag. 103 ſ Gen. 3. 13. 14 t in cap. 1 u Lev. 26. 16 Deut. 27. 15. & 28. 16 x lib. de Myſter. n. cum de 30

Quare tricenarius numerus ſoleat cum Dei laude nominari Tricenarius numerus ſymbolũ luctus.

y 23. q. 4 cap. quia ex Ambroſ. de obit. Theod. item Greg. 4. dial. cap. 55 z d. 23. c. 1. §. quiſquis. Hic Pſalm. contra perſecutores recitatur.

B *Verſ. 2.)* Deus laudem meam ne tacueris, quia os peccatoris, & os doloſi ſuper me apertum eſt.

Senſus loci.

ORat Deum David, ne quas ad ipſum fundit preces rejiciendo, videatur nolle, ut ipſe illum laudet; quaſi Deus laudem alicujus loqui cenſeatur, ſeu ori alterius laudem ſui ipſius dictare, ac libenter laudari ab eo velle, & laudantem audire, quando unde laudari poſſit, materiam præbet. Nam beneficium laudare ſolemus, & *Deo ipſi confiteri quum benefecerit nobis* a, ac inter alia beneficia, ſi adverſus dolos, fraudes, calumnias, criminationes tamquam ſtrenuum ſe defenſorem, advocatum, patronum, laudatorem exhibuerit. Itaque *laudem ſuam* intelligere poteſt Prophetam tùm activè, qua Deum laudet; tùm paſſivè, qua laudetur à Deo; ita ut laudatus, ideſt, innocens declaratus, Deum, qui declaret innocentiam ſuam, & ſic laudator ſit, ipſe laudet. In quo ſenſu Paulus b dixit, *quod tunc*, ideſt, in judicio, *laus erit unicuique à Deo*.

a Pſ. 48. 19 b 1 Cor. 4. 5

Myſtico, præcipuoque ſenſu paſſim à Catholicis tradito, Chriſtus Patrem precatur adverſus fictos laudatores, & infeſtiſſimos calumniatores ſuos, Scribas, Phariſæoſque; præſertim autem contra Judam, qui communicato conſilio cum inimicis, exactoque pretio, & doloſo oſculo, ipſum proditurus erat: propterea ut non ſinat obſcurari, & blaſphemari innocentiam ſuam, virtuteſque ceteras, doctrinam, & ipſammet divinitatem, quod facturi erant adeò multi poſtea infideles, Judæi, hæretici, ſchiſmatici, mali Chriſtiani, ſed laudem ipſius tueatur, & celebrari curet, quod Apoſtoli deinde fecerunt, & Martyres, Confeſſores, Doctores, moribus, miraculis, prædicationibus, ſcriptis, ipſo ſanguine: poſtremo, ne permittat ſilentio tradi laudem illam, quæ offerenda erat ipſi Patri propter ejus Filium ab iis, qui inſpicientes mirabilia opera illius, quæq; per gratiam ejus facturi erant credentes in illum, ſummis laudibus cum glorificaturi erant. Talis videtur oratio illa Chriſti. *Clarifica c me tu Pater*, &c. & *Clarifica d nomen tuum*: & *Clarifica Filium tuum, ut Filius tuus clarificet te*.

Senſus myſticus.

c Ioan. 17. 1 d cap. 12. 28

Deus, laudem meam ne tacueris.) Hieron. *Deus laudabilis mihi, ne taceas*. Trevetus Hieron. explicat, quia pro beneficiis Deum laudare tenemur, dici laudabilem nobis: & quoniam alia jam beneficia contulit, petit ut hoc adjiciat, unde laudabilis magis adhuc reddatur, ne diſſimulet injuriam, malitiaque hoſtium, impunitam relinquendo. Alii, *Deus laudis mea, qui laudaris à me, de quo glorior: Deus gloria mea, Deus auctor, materiaque gloriationis meæ, quem laudo, & cujus ſolius laudem quæro, à quo eſt lauder, & glorificer*. Aquila, Θεὲ ὑμνήσεώς μου, *Dee laudationis meæ*. Symmacchus, ὁ Θεὸς ὑμνήσεώς μου, quod idem valet. Præferenda tranſlatio noſtra, quia juxta tranſlationes iſtas ultimas, & ſimiles accipitur nomen אלהי *Elohe*; perinde ac ſi eſſet in regimine ab אלהים *Elhoim*, in ſtatu abſoluto, quum tamen Hieronymus e ut diſtincta nomina Dei hæc duo annumeret inter duodecim, Genebrardus exiſtimat ſyntacticè, ſeu in regimine poni, ſed cum eclypſi צבאות *tſevaoth*, *exercituum*; & tamen eſſe diverſum nomen ab אלהים *Elohim*. Non video cur hoc poſito illud afferatur, & non potius poni in ſtatu abſoluto. Valde quoque dubito, an propriè dici debeant illa nomina diverſa, ſicut & ab iiſdem אלוה *Eloah*, quod habet formam numeri ſingularis,

e epiſt. 136

quem-